



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

Disputatio V. De Prædicamentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)



DISPUTATIO V. De Prædicamentis.

DOctrinam *Prædicamentorum*, sive *Categoriarum* propriam esse *Logicæ*, totiusque *Philosophiæ* principium, nemo facile in dubium vocabit. Sentit hoc Galenus de *Prædicamentis* ita differens: Τὸ Διαίρειν τὰς κατηγορίας, ἀρχὴ τῆς λογικῆς ἐστὶ θεωρίας. *Divisio Categoriarum principium est logicæ considerationis.* Hoc ipsum asserit Alexander his verbis: Τὰ πρῶτα τῆς Φιλοσοφίας καὶ ἀρχὴ τῆς λογικῆς πραγματείας. *Quod est in Philosophia primum, & logicæ tractationis principium.* Quantæ verò utilitatis sit, exinde facile dignoscet, quod series prædicamentorum res propè infinitas in ordinem digerat, definitionum fontes detegat, manifestet, quid subjici debeat in propositione, quid prædicari; quid rei cuique conveniat, quid non &c.: ita, ut prædicamentum meritò dici possit ordo rerum, & operationum in mente, naturæ index, tabula universitatis, quæ res varias uno veluti obrutu menti nostræ spectandas proponit. Igitur in præsentī disputatione per quæstiones varias explicabo primùm ea, quæ ad prædicamenta in genere spectant; deinde de prædicamentis in specie maximè necessaria pertractabo.

ARTI-

ARTICULUS I.

De iis, quæ circa Prædicamenta in genere expendenda sunt.

381. *Quæres 1. Quid sit Prædicamentum?*

R. Est ordo, sive series terminorum magis & minùs communium, quæ sub genere summo multa includit genera, & species subalternas, speciem infimam, & individuum. Vocatur *prædicamentum*, quia rei alicujus prædicata continet, ostenditque, quodnam prædicatum sit aptius subjici, quodnam prædicari. Constat hic ordo tribus lineis: *Rectâ*, sive *Mediâ*, & *duabus Collateralibus*. In *linea rectâ*, sive *directè* ponuntur prædicata quidditativa, i. e. quæ prædicantur in quid; ut *genera*, & *species*. In *lineis lateralibus*, sive *indirectè* ponuntur illa, quæ prædicantur in quale quid, nimirum differentiæ divisivæ generis, & constitutivæ speciei. Alia dicuntur *reductivè* poni in prædicamento, quæ scilicet respectum habent ad directè posita, ut sunt partes physicæ, sive essentielles sint, sive integrales.

382. *Quæres 2. Quæ, & quot conditiones requirantur, ut aliquid directè poni possit in prædicamento?* R. Condiciones sex his versibus comprehensæ:

Ens, Verum, Per se, Incomplexum, Synonymumque

Completumque capit scema categoriæ.

imò.

1^{mo}. Debet esse *Ens*, nimirum *positivum*. Hinc exulare à Categoriis debent Privationes, & negationes. 2^{do}. Requiritur *Ens verum*, h. e. *Reale*; unde entia ficta, & chimærica in iis locum non habent, nec entia moralia v. g. *Valor monetæ*. Nam prædicamenta ordinantur de rebus physicis, iisque perfectionibus, quas ex natura habent, non verò ex taxatione, & æstimatione hominum, quæ admodum variabilis est, nec apud omnes gentes eadem. 3^{tiò}. *Ens per se*: Nam entia per accidens, ut sunt artefacta v. g. *Domus, sedes &c.*, invehunt confusionem prædicatorum, eoquòd componantur ex rebus ad diversa prædicamenta spectantibus. 4^{to}. *Incomplexum*. Nam termini complexi, & orationes plures & diversos explicitè etiam generant in mente conceptus. 5^{to}. *Synonymum*, h. e. *Univocum*. Hinc amandanda à prædicamentis sunt *Æquivoca, Analogæ*. Cùm enim priora diversis rebus, posteriora verò rebus diverso saltem modo convenient, hinc intellectus unum facilè cum altero confunderet, ac proinde non satis tutè dirigetur ad rectè cogitandum. 6^{to}. *Complectum*, h. e. *Totum*. Per hoc excluduntur partes physicae essentialis, ut *Materia, & Forma physica*, item partes integrantes v. g. *Manus, Pedes &c.* Item partes metaphysicae, quæ substantivè non efferuntur, ut *Differentia*. Genera autem licèt uno respectu partes metaphysicae sint, ponuntur tamen in linea recta; quia alio respectu sunt tota potentialia, & substantivè efferuntur.

Præ-

Prætereà adverte, quòd termini in prædicamento *Substantiæ* positi significant concreta; in prædicamento verò *Accidentis* abstracta. Sic in prædicamento substantiæ ponitur *Animal*, non *Animalitas*; cùm abstracta *substantiæ* propriè non sint, sed *substantialitates*. In prædicamentis autem accidentium ponitur *Quantitas*, *Qualitas* &c., non *Quantum*, *Quale* &c. Cujus ratio hæc est: quòd abstracta propriè accidentia sint, non autem concreta, quæ subjectum simul, adeoque substantiam involvunt. Accedit, quòd in prædicamentis non nisi genera, & species directè ponantur: cùm igitur substantiæ in concreto prædicari possunt essentialiter, & tanquam genera, vel species; Accidentia verò in abstracto tantùm essentialiter & ut genera, vel species prædicari valeant; hinc in prædicamento substantiæ directè ponuntur concreta; in prædicamentis autem accidentium abstracta.

383. *Quæres 3. Quæ sint causæ alicujus Prædicamenti?* R. *Causa efficiens* est intellectus, qui cum fundamento in re prædicata superiora à suis differentiis abstrahit, & in ordinatam prædicamentorum seriem redigit. *Causa finalis* est, ut discernantur res. *Causa formalis* est ipsa ordinatio prædicatorum. *Causa materialis* sunt res per mentem ordinabiles. Inde colliges, quòd res in prædicamento ponantur *in recto*, & *ut quod*; conceptus verò res repræsentantes *in obliquo*, & *ut quo*: Id enim ponitur *ut quod* in prædicamento, in quod ens, &

Y

reli-

reliqua genera dividuntur; sed dividuntur in res, & non in conceptus, quandoquidem sint tantum id, quo ens dividitur; ergo.

384. *Quæres 4. Quot sint Prædicamenta?* R. Aristoteles *lib. de Categor. cap. 4.* recenset decem his verbis: *Eorum, quæ sine complexione (h. e. per quæstiones simplices) dicuntur, unumquodque aut substantiam significat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm, aut habere, aut agere, aut pati.* Memoriam gratia redacta sunt in hos versus, quos superimpositæ voces explicant:

Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas,
Arbor *sex* *servos* *ardore*

Actio, Passio,
refrigerat *ustos,*

Ubi, Quando, Situs, Habitus.

Ruri *cras* *stabo, sed tunicatus ero.*

Decem hæc prædicamenta porissimum respectu individui humani ordinavit Philosophus, eoquod dicta de homine, qui Micro-Cosmus est, & aliorum entium perfectiones in se continet, aliis entibus secundum proportionem facile applicari possint. In divisione hac prædicamentorum sequuntur Aristotelem Philosophi passim, non tamen ut Grus gruem; sufficienti enim ratione nituntur, quæ hæc est, quia pluribus quæstionibus simplicibus rationis, aut ejus perfectiones in individuo humano reperiri non possunt. Nam *1mò* quæritur: quid est Socrates? *2dò* quantus est? *3tò*

qualis est? *4to* respicitne aliud ens? *5to* agitne aliquid? *6to* patiturne aliquid. *7to* ubi est? *8to* quando est. *9to* an est vestitus? *10to* quomodo in loco positus est? præter has quæstiones interrogatio alia simplex non datur, quæ ad has saltem reductivè non pertineat. Dixi *Interrogatio simplex*: Nam quæstiones complexæ, cum modis innumeris conjungibiles sint, seriem certam non nanciscuntur. Si ais, quod quæstio: *An sit*, in præfatis quæstionibus non contineatur. R. Hæc præsupponitur; cum quæstiones prædicamentales simplices fiant de re jam existente

385. *Obj.* In prædicamentis Aristotelicis nulla fit mentio rerum spiritualium; ergo non sunt admittenda. R. *N. ant.* Quid enim *Incorporeum*, aut *Immateriale* denotat aliud, quàm spirituale? Adde, quod prædicamenta Aristotelis præcipuè ordinantur ad individuum humanum, quod spirituale denominari nequit; ac proinde spiritualitatis mentio in iis adeò necessaria non est. *Inst. 1.* Aristotelis Categoriæ negativæ complectuntur differentias, quales sunt: *Incorporeum*, *Irrationale* &c. ergo. R. *D. ant.* Complectuntur differentias negativæ quoad modum explicandi. C. quoad rem. N. Nam per differentias negativè explicatas indicantur rationes positivæ. Adhæc idem solvendum est Adversariis, qui pro differentia corporis ponunt *Non vivens*, & pro differentia viventis *Vim progrediendi non habens*, ut videre est in linea prædicamentali Cartesii.

Inst. 2. In categoriis peripateticis *Homo* ponitur sub *corpore*, tanquam sub genere; cum tamen æquè sub *Mente* tanquam genere poni possit. R. 1. Si æquè poni sub mente possit, ergo non est potior ratio pro uno, quàm pro altero. R. 2. *Homo* non bene poneretur sub mente; quia secundùm ea genera, & differentias poni in prædicamento debet, quibus in sensu philosophico denominatur; cum igitur malè diceretur: *Homo est spiritualis*, quandoquidem spirituale excludit omne materiale; hinc non ponendus est sub *Mente*, sive *Spiritu*, tanquam genere. *Inst. 3.* Aristoteles in categoriis omisit motum. R. Arist. de motu locali agit in prædicamento *Ubi*, de motu alterativo in prædicamento *Qualitatis* &c. ergo non omisit motum.

386. *Quæres 5.* Quid sentiendum de decem categoriis Epicuri his versibus contentis:

*Intervalla, viæ, connexus, pondera, plaga,
Concursus, motus, ordo, positura, figura,
Cum permutantur, mutari res quoque debent.*

R. Has categorias non subsistere; imò quia falso nituntur fundamento; docent enim Epicuri sequaces, omnia in mundo ex atomis ac corpusculis variè & fortuitò permixtis constata esse, quod, quàm alienum à veritate sit, in Phisica declarabitur. 2dò quia in illis Angelus non comprehenditur: quis enim connexus in Angelo, aut quod pondus, quæ figura, positura? Idem iudicium ferendum est de aliis

septem

septem categoriis, quas ponunt Sectatores Platonis, & his versibus exprimunt:

*Mens, mensura, quies, motus, positura, figura,
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.*

Per τὸ *Mens* intelligunt substantiam spiritualem. Per τὸ *Mensura* quantitatem. Per τὸ *Quies* permanentiam in loco. Per τὸ *Motus* translationem de loco in locum. Per τὸ *Positura* situm partium: si sit partium majorum situs, ut *stare, jaceve*, vocant eum accidentarium corpori; si verò sit partium tenuissimarum situs, illum corpori determinato essentialem docent. Per τὸ *Figura* intelligunt exteriorem corporis terminationem, quæ corpori accidentalis est; vel intimam tenuissimarum particularum dispositionem, per quam constitui volunt corporis determinati naturam. Per τὸ *Materia* corpus significant. Verùm quâ ratione *Quies* in prædicamentorum numerum venit? cùm sit mera carentia motûs. Quâ ratione erit genus supremum? quomodo species & differentiæ quietis usque ad individuum ordinabuntur? dicant hoc Neoterici. Ordinent deinde prædicamenta *Positura*, & *Figura*, in quantum tenuissimas particulas respiciunt. Certè ipse Purchotius in parte 1. Log. cap 5. sub finem ait: *Difficile dictu est, quænam propriè sit partium configuratio, quæ lignum à ferro discriminat.* Sicut igitur Neoterici juxta principia Cartesii particulas intimas cum configuratione & situ confingunt; ita pariter figurarum ac positura-

rum prædicamenta fictè tantùm ordinant, si tamen ordinare possint. Proinde non video, cur relictis categoriis peripateticis ejusmodi Neotericorum prædicamenta sint amplectenda.

387. Pro meliori intelligentia eorum, quæ hic de Prædicamentis peripateticis, ac supra de universalibus dicta sunt arborem Porphyrianam, quam hic subjungo, sæpiùs inspicere,

ARTICULUS II.

De Substantia.

388. *Nota 1.* Substantia nomen accipit à substando, vel quod substet accidentibus, vel quod per se stet, nec exigat esse in subjecto inhæssionis; quod ultimum bene observandum, eoquòd etiam accidentia esse sine subjecto inhæssionis possint, saltem *supernaturaliter*; propterea tamen substantiæ non sunt: quia licet actu non sint, semper tamen exigunt esse in subjecto inhæssionis. Dicitur autem *Subjectum inhæssionis* illud, quod recipit formam accidentalem, ex se eductam, h. e. talem, cùm qua facere non potest compositum ultimatò completum, quod sit primum, & radicale operationum, & proprietatum principium. *Subjectum denominationis* est, quod denominationem quandam accipit à forma, licet hæc non recipiatur in omni parte subjecti. Sic homo denominatur videns, licet visio in oculo tantùm, & non in toto homine recipiatur. *Subjectum sustentationis* est, quod formam substan-

tia

rialem recipit ex se eductam, cum qua facit ens per se, & ultimò completum, ita, ut sit principium primum, & radicale proprietatum, accidentium, & operationum. Sic omnis forma substantialis materialis recipitur in materia. Prætereà hic observandum, quòd substantia substat accidentibus *ut quod*: Hinc quantitas, quæ substat accidentibus tantum *ut quo*, cum substantia nondum convenit.

389. *Nota 2.* Substantia variè accipitur; 1. Pro cujusque rei entitate, & natura: Sic habitus fidei dicitur quoad substantiam supernaturalis, licèt sit accidens. 2. Pro entitate aliqua substante accidentibus physicis; hoc sensu S. Augustinus, & alii Ss. PP. negarunt Deum esse substantiam. 3. Sumitur strictè, prout sub genere entis est membrum accidenti oppositum. De substantia strictè dicta hinc quaeritur 1. Quid sit? 2. Quotuplex sit? 3. Quæ ejus proprietates? 4. Quomodo illius Prædicamentum sit Ordinandum?

390. *Dico 1.* Substantia est *Ens per se subsistens*. Ita cum Arist. communis Philosophorum. Est bona definitio, quia fit per prædicata prima, & omni ac soli substantiæ convenit. Ab Oviedo *Ens per se* sic explicatur: *Quod à natura primariò, & proter se intenditur, & non propter aliud à se adequatè distinctum*. Sic substantiæ completæ non intenduntur propter alias substantias, in quæis stent; sed stant se ipsis. *Incompletæ* verò substantiæ, v. g. *Materia*, inadæquatè tantum à toto substantiali di-

stinguuntur, consequenter etiam propter se saltem partialiter intenduntur. Arriaga *Ens per se* illud dicit, quod est *primum & radicale principium proprietatum & operationum connaturaliter, & stabiliter convenientium toti.*

391. *Obj.* Forma substantialis sive anima bruti est in materia tanquam in subiecto; ergo non omnis substantia est ens per se. *R. D. ant.* Est in materia tanquam in subiecto inhæisionis, *N.* tanquam in subiecto sustentationis. *C. Vid. n. 388. Inst. 1.* Et quæris: An idem de anima rationali dici possit, quod modò de anima bruti dictum est? *R.* Negativè; nam materia nec subiectum inhæisionis, nec sustentationis est respectu animæ rationalis; sed est subiectum *informationis*, h. e. tale, quod recipit quidem formam substantialem, sed creatam, & non eductam ex se, cum qua tamen totum substantiale constituit. *Inst. 2.* Forma substantialis bruti est in materia bruti, sicut quantitas; ergo sicut quantitas non est substantia, sic nec forma substantialis bruti. *R. N. rò sicut.* Nam forma bruti facit cum ejus materia totum, quod est principium primum, & radicale proprietatum, & operationum convenientium bruto. Econtrà quantitas cum materia non facit ejusmodi totum. *Inst. 3.* Quantitas facit hoc compositum: *Quantum*, quod etiam proprietates suas habet; ergo si forma bruti est substantia, etiam quantitas talis erit. *R. D. ant.* Facit hoc compositum: *Quantum*, quod tamen non est principium primum illarum pro-

proprietatum. C. Quod est principium primum. N. Nimirum quantitas non complet ultimatò materiam; sed eam relinquit adhuc indifferentem ad quamcunque aliam formam substantialem, quæ materiam certa quantitate affectam exigit, eamque ultimatò complet; igitur hæc principium primum, & radicale est proprietatum, & operationum. *Inst. 4.* Humanitas Christi est in alio, & tamen est substantia. R. D. Est in alio ut in subiecto inhæfionis. N. ut in supposito Theandrico. C. *Inst. 5.* Potest Deus creare substantiam non operativam; ergo substantia non est necessariò principium operationum. R. D. *ant.* Potest creare substantiam non operativam *ad extra.* T. *ad intra.* N. Nimirum ejusmodi substantia esset saltem emanativa suarum proprietatum.

392. *Dico 2.* Substantia alia est 1ma, alia 2da. *Prima est* substantia singularis, quam Aristoteles ita definit: *Quæ nec est in subiecto (scilicet inhæfionis) nec dicitur de subiecto (nempe prædicationis) ut Petrus;* nam individuum non est prædicatum prædicationis. *Secunda est* substantia universalis. Hæc juxta Aristotelem *dicitur de subiecto, sed non est in subiecto;* subintellige priores parentheses. Porro substantia dividitur in completam, & incompletam. *Completa physicè est,* quæ non exigit uniri alteri, ut *Deus, Angelus &c.* *Incompleta physicè est,* quæ exigit uniri alteri substantiæ, ut *Materia formæ, Anima rationalis corpori.* *Completa metaphysicè est,* quæ concipitur ut

totum actuale, v. g. *Species infima*: vel ut totum potentiale, v. g. *Genus*. *Incompleta metaphysicè* est, quæ concipitur instar partis, ut *Differentia*. Denique substantia alia est *composita*, ut *Homo*, qui physicè ex corpore & anima componitur, metaphysicè autem ex genere & differentia. Alia est *simplex physicè*, quæ partes físicas non habet, ut *Deus*.

393. *Dico 3.* Proprietates substantiæ sunt sequentes. *1ma.* Substantia non suscipit magis, & minùs in ratione substantiæ, sic *David* non fuit minùs homo, quàm *Goliath*, etsi fuerit minor. *Nec obstat*, quòd Aristoteles speciem vocet magis substantiam, quàm genus: nam hoc non facit præcisè ratione substantiæ; sed ratione accidentalis affectionis, quatenùs pluribus prædicatis subjicitur. *2da.* Substantia ratione sui non est alteri contraria; nam solæ qualitates, ut ex *Dialectica* constat, sibi contrariantur. *3tia.* Substantia creata manens substantia tanquam *subjectum ultimum*, & ut quod suscipit contraria, cum accidentali sui mutatione. Sic idem homo jam est calidus, jam frigidus. Dixi ut *subjectum ultimum*, & ut quod, quia juxta multos etiam quantitas suscipit contraria, sed tantùm ut quo. *4ta.* Substantia non est in subjecto inhæsionis, quæ proprietas si *Radicaliter* sumatur est ipsa substantiæ essentia.

394. *Dico 4.* Quomodò prædicamentum substantiæ ordinandum sit, ex superiori tabula velim dignoscas. Pro ea autem formanda assignatur duplex regula. *Prima est: Quidquid essen-*

essentialiter dicitur de attributo alicujus subjecti, id rectè dicitur de ipso subjecto. Sic quia de attributo seû prædicato hujus propositionis: *Socrates est homo*, essentialiter dicitur *Animal*, *Vivens*, *Corpus*, *Substantia*, cuncta hæc rectè quoque dicuntur de Socrate. Hæc regula concernit lineam rectam. Altera inservit pro lineis lateralibus, & est hæc: *Diversorum generum non subalternatim positorum diversa specie sunt differentia; Generum verò subalternorum nihil prohibet easdem esse differentias.* Sic *Animalis* differentia constitutiva est sensitivum, divisa rationale & irrationale. Ex his nullam participat *Planta* non subalterna animali. Econtrà quia *Animal* est genus subalternum *Viventi*, hinc idem *Sensitivum*, quod dividit *Vivens*, constituit quoque *Animal*.

395. *Quæres: An Deus poni possit in prædicamento substantiæ Aristotelis?* R. Affirmativè. Probatur imò negativè: Nequit ostendi ubi Aristoteles requisierit ad prædicamenta *Ens finitum*. Probatur 2do positivè. Ipse Aristoteles *Lib. 1. Ethic. cap. 6* apud Sylv. Maurum inter exempla categoriarum pro exemplis substantiæ affert Deum & mentem: Sic enim ait: *Præterea, cum bonum totidem modis dicatur, quot illud, quod est (Nam & in SUBSTANTIA dicitur, ut DEUS, & MENS: & in qualitate virtus: & in quantitate mediocre &c.)* Adhæc, quid impedit, quò minus & nomen, & ratio substantiæ, quæ est *Ens per se subsistens*, Deo & creaturis communis sit? cum sententia

L. is

fatis communis ac fundata (ut in *Metaphysica* tradetur) doceat Ens esse univocum ac genus respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis. *Confir.* Ex fine categoriarum, qui est discretio rerum dissimilium; cui fini profectò non obstat, si in prædicamento ponatur ens infinitum.

396. *Obj.* Deus non est substantia; ergo nec poni potest in prædicamento substantiæ. *Prob. ant.* Substantia dicitur à substando; sed Deus nulli rei substat; ergo. *R. D. maj.* Substantia dicitur à substando, vel quòd substat accidentibus, vel quòd per se stet. *C.* Præcisè quòd substat accidentibus. *N. maj. & concessâ min. D. eodem modo Conf.* Quod autem ipse Aristoteles per *Tò substantia* non semper intelligat substantiam creatam, quæ substat accidentibus, hoc satis manifestè declarat *12. Metaphys. cap. 7. apud Sylv. Maurum*, ubi tex. 41. sic: *Quòd itaque est quedam aeterna, immobilisque substantia, & à sensibilibus separata, constat ex dictis.* Et tex. 39. de hac substantiâ ita differit: *Ille verò est actus: Actus verò per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum sempiternum optimumque vivens esse.* Si autem Deus juxta Aristotelem est actus purus, quomodò substatere poterit accidentibus, saltem physicis? *Inst. 1.* Substantiæ proprium est, recipere contraria; sed hoc Deo non convenit; ergo. *R. D. maj.* Substantiæ creatæ. *C.* substantiæ increatæ. *N. maj. & concessâ min. D. pariter Conf. Inst. 2.* Nequit dici, an Deus
pona

ponatur in prædicamento ùt genus, vel ùt species, vel ùt individuum; ergo *R. N. ant.* Et dico, Deum poni ùt speciem subijcibilem, quæ immediatè subijcitur generi. Possèt etiam dici, quòd ponatur ùt individuum: Licèt enim immediatè poni sub genere, individuo creato, & finito non conveniat; id tamen individuo increato & infinito negari non debet, cùm species prædicabilis esse non possit. *Inst. 3.* Subijci injuriosum est Deo; ergo. *R. D. ant.* Subijci civiliter & physicè. *C. Logicè N. Inst. 4.* Species componitur ex partibus metaphysicis; sed hoc Deo non convenit, cùm sit ens simplicissimum; ergo. *R. N. min.* Compositio metaphysica, quæ solùm est juxta nostrum concipiendi modum, non officit simplicitati divinæ sed physica. *Inst. 5.* S. Augustinus deploravit, quòd Deum posuerit in prædicamento substantiæ. *R. D.* Deploravit, quòd Deum posuerit in prædicamento substantiæ, quasi substaret accidentibus absolutis. *C. alio sensu. N.* Eodem modo doluit idem S. Pater, quòd magnitudinem Dei posuerit in prædicamento quantitatis; ejus pulchritudinem autem in prædicamento qualitatis; acsi hæ duæ perfectiones forent accidentia absoluta in Deo. *Adverte,* quòd ea, quæ dicta hìc sunt de Deo, intelligenda quoque sint de Christo, si vel ùt *Deus*, vel ùt *Homo* spectetur; item de Angelis.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Quantitate.

397. *Dico 1.* Quantitas latè sumpta bene dicitur id, quo aptè responderetur ad quæstionem quanta sit res, vel quot sint. Sic quia quærenti, quantum sit lignum? aptè respondes: est bipedale; & quia sciscitanti, quot sint res? aptè reponis: sunt duæ: Hinc *Bipedalitas*, *Dualitas* dicitur quantitas. Vocatur prætereà *forma denominans rem quantam*; item, *Mensura substantiæ materialis*, seu *modus magnitudinis*. Si autem propriè & essentialiter sumatur, est *accidens reddens rem impenetrabilem*, de quo pluribus agetur in physica.

398. *Dico 2.* Quantitas alia est virtutis, alia molis. *Quantitas virtutis* est, quâ res dicuntur magnæ, vel parvæ in perfectione, sive hæc perfectio sit essentialis, sive accidentalis. Sic *Deus* dicitur *ter Optimus*, *terque Maximus*. Sic *Frigus* intensum ut *septem* dicitur majus frigore intenso ut *tria*. *Quantitas molis* est *Extensio partium*. Prætereà dividitur quantitas in continuam, & discretam. *Continua* est, cujus partes communi termino uniuntur, ut *Lignum* bipalmare constans duobus palmis *unitis*. *Discreta* est, cujus partes inter se non uniuntur termino communi, ut *Numerus*, *Oratio*. Nam duo, tria &c. non copulantur communi termino, nec verba orationis, sed sunt tantum unum unitate ordinis quatenus ordinantur ad ultimum. Porro quantitas continua subdividitur

ditur in permanentem, & successivam. *Permanens* est, cujus partes existunt simul, vel actu, vel potentia; sive est extensio partium permanentium in ordine ad locum, quem occupant; ut *Ulna*. *Successiva* est, cujus partes sibi necessariò succedunt; sive est extensio partium successivarum in ordine ad tempus; ut *Hora, Dies &c.* *Quantitas* permanens iterum subdividitur in *Lineam*, quæ est extensio longa duntaxat, cujus partes puncto copulantur. In *superficiem*, quæ est extensio longa & lata tantum, cujus partes copulat linea. In *Corpus*, quæ est extensio longa, lata & profunda, cujus partes copulantur superficie. Hoc corpus dicitur corpus mathematicum, quia à mathesi spectatur triplex hæc mensurabilitas. Ex his patet, quomodò prædicamentum quantitatis ordinari debeat, quod claritatis gratiâ inspicere poteris in *Dialectica*.

399. *Obj.* Species entis categorici debet esse quid completum; sed *Linea*, & *Superficies* non sunt completa; ergo non possunt esse species entis categorici. *R. D. min.* Non sunt completa, i. e. sunt simpliciter incompleta, ut *materia*, & *forma*. *N. i. e.* sunt incompleta secundum quid. *C.* nimirum *Linea* & *Superficies* sunt incompleta, quatenus *Linea* componit superficiem, & *superficies* corpus. Sunt autem completa, *Linea* quidem in ratione longitudinis, & *superficies* in ratione latitudinis. *Inst. 1.* Una species non includit aliam; ergo *linea* non est species distincta à *superficie*, nec
super-

superficies à corpore, quod componit. R. D. *ant.* Non includit aliam præsuppositivè & materialiter. N. formaliter C. *Inst.* 2. Superficies est formaliter longa, & corpus est formaliter longum, latum & profundum; ergo superficies formaliter includit lineam, & corpus superficiem. R. D. *ant.* Superficies est formaliter longa longitudine propriâ lineæ formaliter tali, quæ non est præcisè longitudo, sed longitudo excludens latitudinem. N. Est formaliter longa longitudine non propriâ lineæ. C. Eandem responsionem applica alteri parti antecedentis. *Adverte* postremò, quòd Aristoteles quantitatem non dividat in continuam, & discretam, tanquam in species univocas, sed analogas. Nam quantitas discreta non est propriè, & strictè quantitas, cùm non habeat impenetrabilitatem, & sit ens per accidens. Proinde in rigore & propriè quantitas continua locum summi generis in prædicamento meretur, ad quam discreta quantitas ob extensionem, aliasque proprietates quantitati continuæ affines refertur: ita, ut Philosophus potius ex mente vulgi, quàm in rigore Philosophico quantitatem discretam in prædicamento quantitatis posuisse videatur.

400. *Dico* 3. Proprietates præcipuæ quantitatis sunt sequentes. *Prima.* Quantitati nil est contrarium, nimirum per se & ratione suâ, quòd eam ex subjecto expellat. *Secunda.* Quantitas non suscipit magis & minus, h. e. intendi nequit, vel remitti; sic pueri tripedalitas non est

est minùs quantitas, quàm viri septempedali-
tas. Suscipit tamen majus & minus secundùm
extensionem; sic gigas extensivè major est py-
gmæo. *Tertia. Aequalitas, & inæqualitas,* al-
terutram enim fundat. Est autem æqualitas
convenientia unius quantitatis cum altera ejus-
dem rationis; inæqualitas verò est disconve-
nientia. Si æqualitas, vel inæqualitas tribua-
tur Virtuti, talentis &c. hoc fit per Analogiam,
& locutionem tropicam.

ARTICULUS IV.

De Qualitate.

401. *Dico 1.* Qualitas strictè sumpta, &
prout speciale constituit prædicamentum, est
accidens absolutum ex se penetrabile, ordinatum
ad hoc, ut ornet, perficiatque substantiam in or-
dine ad existendum, vel operandum. Dicitur 1.
Accidens absolutum. Per hoc convenit cum
quantitate. Dicitur 2. *Ex se penetrabile;* per
quod differt à quantitate, quæ materiam red-
dit impenetrabilem. Denique per *τὸ Absolu-*
tum, & alia subsequentiâ differt àb accidenti-
bus modalibus, ac respectivis. Ex his adver-
tes, quòd qualitatis nomine hìc non intelliga-
tur omne illud, quòd redditur ad quæstionem,
qualis sit res, quo sensu etiam differentia essen-
tialis qualitas dici potest.

402. *Dico 2.* Aristoteles divisit qualitatem
in quatuor species, quarum singulæ sunt bi-
membres. In prima specie sunt *Habitus,* &
Dispositio. Hæc significant qualitatem perfi-
cien-

cientem subjectum in ordine ad operandum, quæ ex frequentatis actibus relicta, & ita radicata in subjecto, ut difficulter removeri ab eo possit, vocatur *Habitus*. Ut *Scientia*, *Virtutes*, *Vitia*. Si verò talis qualitas adhuc debilis sit, & facilè mobilis, *Dispositio* nuncupatur. In secunda specie sunt *Potentia naturalis*, & *Impotentia*. *Potentia* hinc non sumitur pro possibilitate alicujus rei; sed est qualitas à natura insita ad aliquid operandum, v. g. *Potentia auditiva*, *visiva*, *Virtutes herbarum* & *lapidum* &c. *Impotentia* hinc non significat non esse potentiam, sed ejus imbecillitatem, v. g. *debilitas visus*. Differt potentia ab habitu, quòd illa simpliciter necessaria sit ad operandum; hic verò secundùm quid, & ad operandum faciliùs. In tertia specie sunt *Patibilis Qualitas*, & *Passio*. *Passio* hinc denotat qualitatem, quæ sensum exteriorem afficere potest, & citò transit. Talis est *Rubedo ex verecundia*, *Pallor ex timore ortus*. Si autem ejusmodi qualitas sit permanens, & difficulter mobilis, dicitur *Patibilis Qualitas*. In quarta specie sunt *Forma*, & *Figura*. *Forma* dicitur *Dispositio partium*. *Figura* est qualitas ex certa quantitatis terminatione orta. P. Suarez Judicat his duabus vocibus idem significari, hoc solùm discrimine, quòd nomine figuræ idem significetur more mathematico, & abstrahendo à materia; Nominem autem formæ significetur idem more physico. Alii (ut advertit P. Aler) docent, *Formam*, & *Figuram* non esse proprias qualitat

tatis species, sed illas ad quantitatem vel situm referri, eoquòd sint vel quantitas hoc & illo modo extensa, vel certæ quantitatis ubicationes. Juxta hos *Forma*, & *Figura* qualitates dicuntur, quia per illas aptè respondemus ad quætionem, qualis sit res. Sic quærenti, qualis sit mensa? aut qualem formam res habeat? aptè reponis, est rotunda, quadrata &c., aut habet formam pallii, pilei &c. Hi qualitatem propriè dictam sic dividunt: *Qualitas* alia est *operativa*, alia *non operativa*. *Operativa* vel est *acquisita per actus*, & est *Habitus* vel *dispositio*; vel est *insita à natura*, & est *Potentia* vel *impotentia*. *Non operativa* alia est *Passio*, alia *patibilis qualitas*. Hæc altius Scrutari *Physici*, non *Logici* est.

403. *Dico 3.* *Proprietates* qualitatis tres assignantur. *Prima est: Habere contrarium*; sic *Calori* contrariatur *Frigus*. Hanc proprietatem *Aristoteles in Prædic. cap. de Qualitate*, ita declarat, ut eam non omni qualitati convenire fateatur; id quod pluribus declarabitur in *Post-Prædicamentis*, ubi de oppositis agetur. *Secunda est: Suscipere magis, & minus*. Sed nec hæc omni qualitati convenit; figura enim v. g. *Circulus* unus non est magis vel minus *circulus*, quàm alter. *Tertia est: Fundare similitudinem, vel dissimilitudinem*; sicut enim ea dicuntur æqualia, quorum quantitas una est, sic ea vocantur similia, quorum qualitas una est.

ARTICULUS V.

De Relatione.

ENTIA alia sunt absoluta, respectiva seu relativa alia. *Absoluta* dicuntur illa, quæ soluta sunt ab aliis entibus, sive quæ sistunt in se, quin dicant ordinem seu connexionem ad aliud extra se, ut *Homo, Deus.* *Respectiva* sunt, quæ talem ordinem ad aliud dicunt. Alii hanc inter ejusmodi entia differentiam assignant; quod nimirum in explicatione entis absoluti non necessariò fiat mentio alterius, ut patet in voce *Homo.* Econtrà in explicatione termini relativi necessariò fit mentio alterius, idque *in obliquo.* Sic Pater est, qui genuit filium. Nihil tamen obstat, quominus idem diversimodè consideratum, & absolutum, & respectivum esse possit. De absolutis pluribus agit *Physica*; de relativis alii agunt in *Metaphysica.* Verùm cum usus termini relativi non in *Metaphysica* solùm, *Physica*, ac *Theologia*, sed etiam in *Logica* frequentissimus sit, ea, quæ ad Relationem spectant, fusiùs & distinctius hìc explicabo. Sit itaque

§. I.

Quid & quotuplex sit Relatio?

404. *Dico 1.* Relativum est concreterum metaphysicum, dicens in recto *Rem habentem*, in obliquo *Relationem*, quæ est abstractum, sive forma relativi. Est autem *Relatio Ordo*, sive
respe-

respectus, sive habitudo unius ad aliud. Desumitur hoc ex Aristotele, qui lib. de Prædicamentis cap. 3. apud Sylv. Maurum, relativa sic definit: *Ad aliquid verò talia dicuntur, quæcunque hæc ipsa, quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum.* Concurrunt autem ad relationem potissimum tria, quæ diligenter observanda sunt: nimirum *Fundamentum, Terminus, Ratio fundandi.* *Fundamentum, vel Relatum, vel Respiciens* est id, quod dicit ordinem, sive quod refertur ad aliud, & *Aliud* non sumendo strictè pro diversitate naturæ, sed latè pro distincto. *Terminus* est illud aliud, ad quod dicitur ordo, sive ad quod fundamentum refertur. *Ratio fundandi* est id, propter quod fundamentum refertur ad terminum. Est autem ratio fundandi relationum potissimum triplex. *Prima* est *Unitas, & numerus.* *Secunda* est *Actio, & Passio.* *Tertia* est *Mensura, & mensurabile.* *Unitas substantiæ* fundat relationem identitatis inter genus, & speciem, speciem inter, & individua. *Unitas quantitatis* fundat relationem æqualitatis. *Unitas qualitatis* relationem similitudinis. *Unitas loci* relationem indistantiæ. *Numerus* econtrà significat disconvenientiam: Hæc *in substantiis* fundat relationem diversitatis genericæ, vel specificæ; *in qualitate* relationem dissimilitudinis; *in quantitate* relationem inæqualitatis; *in loco* relationem distantiae. *Actio & Passio* fundant relationem causæ ad effectum, & vicissim. *Mensura & Mensurabile*

rabile fundant relationem actûs ad objectum, & vicissim. Prætereà hic observes, quòd fundamentum, si secundùm se spectetur, sine ratione fundandi, dicatur *remotum*; si autem sumatur cum illa, appelletur *proximum*. Item terminus sumitur *materialiter* tantùm si præcisè spectetur ejus entitas sine ratione terminandi. *Formaliter* sumitur, si cum ratione terminandi accipiatur.

405. *Dico 2.* Relatio dividitur primò in realem, & rationis. *Realis* est, quæ in ipsis rebus reperitur, independenter àb intellectu; ut relatio Patris ad filium. *Rationis* est, quæ datur dependenter ab intellectu; talis est relatio universalis ad inferiora, subjecti ad prædicatum &c. *Realem* alii relationem secundùm esse appellant; *Rationis* verò vocant relationem secundùm dici. Vocatur etiam relatio secundùm dici, quando respectus ipso nomine non importatur, vel quando nomen non est primò impositum ad significandum respectum, sed rationem absolutam, talem relationem dicit *scientia ad scibile* &c. Ita Alensis, & alii. Dividitur secundò in relationem Æquiparantiæ, & Disquiparantiæ. *Relatio Æquiparantiæ* est, quando Correlativa, i. e. fundamentum & terminus, habent similia nomina; talis est inter duo alba, inter duos fratres &c. *Relatio Disquiparantiæ* est, quando Correlativa diversis nominibus exprimentur; talis est relatio Patris ad filium, Principis ad subditos &c. Dividitur tertio in mutuam, & non mutuam. *Mutua* est inter
ea,

ea, quæ se mutuò respiciunt; sic Magister respicit discipulum, & discipulus Magistrum. *Non mutua* dicitur, quando unum respicit alterum, sed non vicissim respicitur; talis juxta Patronos suos est visionem inter & rem visam, quam visio transcendentaliter respicit, hæc autem non respicitur transcendentaliter à re Visa. Dividitur *quartò* in prædicamentalem, & transcendentallem. *Prædicamentalis* est, quæ est contingens, & accidentalis fundamento, v. g. relatio similitudinis in muro albo A. ad murum B. dicitur prædicamentalis, quia speciale relationis prædicamentum constituit. De hac plura §. sequenti. *Transcendentalis* est, quæ ipsis rebus realiter est identificata, & necessariam cum essentia habet connexionem, ita, ut res sine illa poni non possit. Talis est inter creaturam, & creatorem. Dicitur transcendentalis, eoquòd prædicamenta omnia transcendat, conveniatque omni rei; hoc ipso enim, quòd aliquid sit accidens refertur transcendentaliter ad subjectum, quòd sit substantia creata transcendentaliter refertur ad Deum, ut creatorem. Adeoque omne ens etiam absolutum sub termino respectivo transcendentaliter respectivum est.

406. *Obj.* Relatio transcendentalis dicitur essentialis fundamento, quia fundamentum per suam entitatem refertur ad terminum, & quod sit fundamento identificata; sed hæc conveniunt quoque relationi prædicamentali; ergo. *R. D. maj.* Quia fundamentum refertur per suam entitatem, i. e. per suam exigentiam in-

trinfecam fuorum prædicatorum essentialium,
 & quòd fit fundamento identificata simplici-
 ter. C. quia fundamentum refertur per fuam
 entitatem, h. e. non quidem per aliquid aliud
 àb illa entitate realiter diftinctum, non tamen
 per intrinfecam prædicatorum exigentiam, &
 quòd fit fundamento identificata tantum fecun-
 dum quid, & ut fundamentum eft aliquid ac-
 cidentaliter refpectivum. N. Hæc ultima con-
 veniunt relationi prædicamentali, priora au-
 tem relationi transcendentali. *Si ais.* Refpectus
 nequit efle de effentia alicujus abfoluti; ergo
 non datur relatio transcendentalis. *R. D. ant.*
 Refpectus prædicamentalis. C. transcendenta-
 lis. N. Ratio hujus diftinctionis ex præce-
 dente refponfione ad objectionem defumi po-
 teft. *Inst. 1.* Quodlibet abfolutum concipi po-
 teft fine relatione; ergo hæc non eft de effen-
 tia abfoluti. *R. D. ant.* Sine relatione prædi-
 camentali. C. fine transcendentali. N. *Inst. 2.*
 Relativum & abfolutum non conveniunt in ra-
 tionibus formalibus; ergo. *R. D. ant.* Rela-
 tivum Categoricum, five prædicamentale, &
 abfolutum non conveniunt &c. C. Relativum
 transcendentalè &c. N. *Si inferas.* Ergo alia
 prædicamenta ad prædicamentum relationis
 revocanda funt. *R. N. Illat.* Nam Ariftote-
 les prædicamentum *ad aliquid* conftituit, ut
 complectatur relativa categoricè, & acciden-
 taliter, non autem relativa transcendentaliter.
 Nec dici propriè poteft, quòd detur prædi-
 camentum relationis transcendentalis, cum
 hæc

hæc per omnia prædicamenta vagetur. *Adverte* prætereà, quòd omnis essentia sit quid absolutum, per tò absolutum excludendo relationem prædicamentalem, non verò transcendentalem, cùm hæc essentialiter connexa sit cum ipsa essentia.

§. II.

In quo physicè consistat Relatio Prædicamentalis?

407. *Nota.* Celebriores circa relationem prædicamentalem physicè spectatam sententiæ sunt ferè sequentes. *Prima* est, quæ tribuitur Thomistis, & aliis nonnullis extra Scholam Thomisticam. Docent hi Authores, quòd relatio physicè accepta sit modus aliquis physicus, realiter fundamento, termino, & rationi fundandi superadditus, per quem fundamentum & terminus de se indifferentia, ad esse relativum determinantur. *Secunda* est eorum, qui contendunt relationem esse complexum ex fundamento proximo & termino tanquam partibus, & intrinsicis constitutivis, ac proptereà *Partialistæ* vocantur. Pro hâc sententia citantur *Arriaga. Ovied. Hurtad. &c.* *Tertia* docet, relationem prædicamentalem consistere in sola, & adæquata ratione fundandi. Complectitur autem ratio fundandi adæquata rationes duas, unam tenentem se ex parte fundamenti, propter quam fundamentum ad terminum refertur, & dicitur propriè ratio fundandi; alteram tenentem se ex parte

termini, & appellatur ratio terminandi. Pro hac sententia stat *Fabri, Sem, de Benedictis, Lingen. &c.* Quarta est Connotatorum, qui cum *Conimbr.* & aliis tuentur, relationem prædicamentalem physicè consistere in fundamento proximo connotante terminum. Hanc & nos amplectemur.

408. *Dico 1.* Relatio non est modus physicus, realiter superadditus extremis. Ita Aristoteles, & D. Thomas. Prior 14. *Metaph. cap. 3.* sic habet: *Quòd autem ad aliquid minimè aliqua substantia, aut ens aliquod sit, signum est, quòd ejus solùm non est generatio, neque corruptio, neque motus: quemadmodum secundum quantum augmentatio, & diminutio, secundum quale alteratio, secundum locum latitudo, secundum substantiam simplex generatio, & corruptio, at secundum ad aliquid minimè.* Ex quo textu sic arguo: Si relatio non est ens, si nec generetur, nec corrumpatur, nec habeat motum; quomodo modus physicus esse potest, extremis realiter superadditus, & ab iis realiter distinctus? 11. *Metaphys. cap. 12.* cur ad relationem non detur motus, hanc assignat rationem: *Etenim altero mutato (nimirum termino) verificatur, alterum nullatenus mutatum, nimirum fundamentum.* Quod apertè contra hosce Modistas pugnat, juxta quos per receptionem modi antea non habiti fundamentum intrinsecè mutatur. D. Thomas. *Opusc. 48. de Relatione. cap. 2.* ita ait: *Similitudo Sortis non est aliqua res in Sorte alia àb ipsa albedine; sed solùm est ipsa*

ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis....
Si enim similitudo adderet supra albedinem Sor-
tis aliquam rem, nullo modo posset aliquis fieri
alicui similis, sine sui mutatione. &c. Respon-
 dent quidem Thomistæ, textum hunc non
Angelici, sed Anglici Doctoris esse, vel D.
 Thomam mentem suam postea mutasse; quan-
 tum verò roboris ac momenti responsio ista
 habeat, alii dijudicent: Certè *Sylv. Soncin. Ja-*
vell. Bannez, & alii Thomistæ, quos citat Gal-
lego, alias de relatione sententias, ut genui-
nas D. Thomæ defendunt. Probatum etiam
conclusio rationibus. 1. Tales modi essent su-
 perflui, cum secluso tali modo duo alba sint
 formaliter alba, & sibi similia; similia enim
 sunt, quorum qualitas est una. 2. Tales mo-
 di physici deberent habere causam sui produ-
 ctivam; sed, quæso, quænam illa? quis ad
 unius cicadæ saltum innumeros novarum rela-
 tionum modos producit? *Vide etiam dicta*
 n. 140.

409. *Obj. 1.* Relatio separatur realiter à
 fundamento; ergo realiter ab eo distinguitur.
R. D. ant. Separatur propriè physicè, *per ces-*
sationem alicujus intrinseci. *N.* Impropriè, de-
 nominativè, & *per cessationem alicujus extrin-*
seci. *C. h. e.* Cessat fundamentum, v. g. Paries
 albus A, esse simile, si destruitur terminus, ni-
 mirum Paries albus B, qui est extrinsecus fun-
 damento. *Inst. 1.* Relatio est verum accidens;
 sed verum accidens physicè separatur à subje-
 cto; ergo & relatio à fundamento. *R. D. maj.*
 Est

Est

Est verum accidens physicum. N. Metaphysicum. C. D. *etiam min.* Sed accidens physicum physicè separatur à subjecto. C. Metaphysicum. N. Idem dic ad sequentia argumenta: 1. Relatio superadditur subjecto. 2. Distinguitur à subjecto. 3. Dependet à subjecto, & perficit subjectum. Nimirum superadditur subjecto, distinguitur, dependet à subjecto, perficit subjectum *physicè*. N. *Metaphysicè*, utpote accidens metaphysicum sola ratione distinctum. C. *Inst.* 2. Relatio advenit fundamento; quia cum terminus physicè producitur, etiam fundamento advenit similitudo; R. D. Relatio *entitativè* spectata advenit fundamento. N. *denominativè* sumpta. C. Relatio *entitativè* spectata est ipsum fundamentum, quod tamen non denominatur simile, antequam terminus ponatur. *Inst.* 3. Antequam terminus producatu nihil est simile, ergo relatio similitudinis etiam *entitativè* spectata producitur cum termino. R. D. *ant* Nihil est simile ex defectu alicujus intrinseci in fundamento. N. ex defectu alicujus extrinseci, scilicet termini. C. *Urges.* Si fundamento nihil intrinsecum desit, quò minùs dicatur simile, ergo jam habebit entitatem similitudinis, antequam terminus producatu. R. C. *Infers.* Ergo etiam jam denominabitur simile; quia ubi est entitas formæ, ibi etiam est denominatio à forma orta. R. N. *Illatum.* Probationem D. Ubi est entitas formæ absolutæ, ibi est denominatio àb ea orta. C. Ubi est entitas formæ relativæ. N.

Ulte-

Uterior Disp. est hæc : Quia forma absoluta àb aliquo extrinsecò non dependens, se sola denominat, dum existit in subiecto : forma verò relativa, licet sit in subiecto, quia tamen àb extrinsecò dependet, non denominat, nisi ponatur terminus subiecto extrinsecus. Adde, quòd denominare fundamentum simile sit effectus tantùm secundarius formæ relativæ, qui potest impediri. Effectus autem primarius est, facere fundamentum referibile ad terminum; quod relatio entitativè spectata præstat, etiam ante productionem termini. *Si dicas* : Denominatio relativa est denominatio intrinseca : ergo àb extrinsecò oriri nequit. *R. D. ant.* Est intrinseca àb extrinsecò. *C.* Est simpliciter & absolutè intrinseca. *N.*

410 *Obj. 2.* Fundamentum Relationis absque modo physicè superaddito est omninò indifferens, ut sit simile, vel dissimile; ergo per tal. in modum debet tolli hæc indifferentia. *R. D. ant.* Est indifferens ex defectu intrinseci. *N.* ex defectu extrinseci, scilicet termini. *C.* vel dic, fundamentum secundùm se, & seorsim sumptum esse indifferens; non autem respectivè sumptum, & connotans terminum.

411. *Obj. 3.* Non datur transitus à contradictorio reali, ad contradictoriùm reale, sine novo accidente physico; sic paries à non albo nequit fieri albus, sine albedine physicè superadditâ; ergo nec datur transitus à non esse simile, ad esse simile, absque novo accidente physico. *R. D. ant.* In absolutis. *C.* In respectivis,

ctivis. N. Ulterior autem disparitas est, quia denominationes absolutæ, v. g. *esse album*, sunt adæquatè à forma intrinseca, & àb extrinsecis non dependent. Contra denominationes respectivæ, v. g. *esse simile*, *intrinseca* quidem sunt, sed *ad extrinsecum*, à quo dependent; sufficit proinde poni illud extrinsecum, sive terminum, quo posito *similitudo* v. g. resultat.

412. *Obj. 4.* Si relatio non est accidens physicum, adeoque modus physicè superadditus, ergo nec visio, nec intellectio, nec quantitas, nec qualitas talia erunt; quia pariter dici posset, quòd sint tantum aliter sic se habentiæ oculi, intellectûs, & objectorum. Consequens non admittitur; ergo nec antecedens. R. N. *sequel. maj. Disp. est*; quia illorum accidentium physicorum causæ assignari possunt; sed modi physicè superadditi causa nulla est assignabilis. Deinde oculus defatigatur videndo, intellectus cognoscendo; quantitas, & qualitas existunt separatæ realiter à subjecto in Eucharistia; sed nihil simile assignari potest pro relatione. *Si ais.* Relatio v. g. similitudinis intenditur, & remittitur; ergo debet esse aliquid physicum. R. D. *ant.* Intenditur, & remittitur directè, & ratione sui. N. indirectè, & ratione alterius v. g. albedinis. C.

413. *Dico 3.* Relatio non consistit in sola, & adæquata ratione fundandi, prout nimirum rationem terminandi simul complectitur. *Ratio est 1.* Ratio fundandi est causa efficiens relationis; facit enim ut in fundamento resultet

rela-

relatio, qua illud ad terminum referatur; ergo non est ipsa relatio. *Ratio est 2.* Ratio fundans relationem causam inter & effectum est *Actio*, & ratio fundans similitudinem inter duos parietes est v. g. *Albedo*; sed nec actio, nec albedo est ipsa relatio; *Actio* enim spectat ad prædicamentum actionis; *Albedo* autem ad prædicamentum qualitatis; ergo ratio fundandi non est ipsa relatio. *Ratio est 3.* Ratio fundandi est aliquid physicum, & physicè producibile; relatio autem non est quid physicum, & physicè producibile; nam juxta Aristotelem *supra cit.* non datur ad relationem motus, i. e. actio productiva; ergo.

414. *Obj. 1.* In illo consistit relatio formaliter, quo habito habetur relatio formaliter; sed habitâ adæquatâ ratione fundandi habetur relatio formaliter; ergo. *R. D. maj.* Quo habito tanquam causa vel conditione habetur relatio formaliter. *N.* Quo habito tanquam ipsa essentia relationis habetur relatio formaliter. *C. D. etiam min.* Sed habitâ ratione fundandi tanquam causâ vel conditione habetur relatio formaliter. *C.* tanquam ipsa essentia relationis. *N.* *Si ais:* In eo consistit relatio, propter quod fundamentum refertur ad terminum; sed refertur propter rationem fundandi; ergo. *R. D. maj.* Propter quod *formaliter* refertur fundamentum ad terminum. *C.* Propter quod *causaliter* tantum, & tanquam aliquod præsuppositum refertur. *N.* Ratio fundandi præsuppositivè est illud metitum, facitque causaliter

liter

liter duntaxat, ut *Parietis A* v. g. sit referibilis ad *Parietem B*. *Si reponas*: Non datur alia forma, per quam referatur *Parietis A*. ad *Parietem B*. ergo ratio fundandi v. g. *Albedo* est illa forma. *R. N. ant.* *Similitudo* est illa forma, quod inde patet; quod concretum hoc; *Simile* malè sic resolveres: *Est res habens albedinem*; sed deberes sic dicere: *Est res habens similitudinem*, quam similitudinem causat, & fundat v. g. *Albedo*. *Si urges*: *Similitudo* physicè sumpta est ipsa albedo; ergo. *R. N. ant.* Sed est fundamentum simile ratione albedinis. Hinc etiam *Parietis* v. g. dicitur referri ad terminum; non *Albedo* ad *Albedinem*.

415. *Obj. 2.* *Parietis ut albus* refertur; ergo albedo refertur. *R. 1.* *Bonum ut cognitum* amatur, ergo cognitio amatur. *R. 2.* *Parietis ut albus* refertur, & tò ut significat tantum conditionem, vel causam. C. & significat rationem formalem importatam in recto. N. Eodem modo solves plura alia AA. argumenta. *Si ais.* Actio est ratio fundandi inter causam, & effectum; sed hæc est ipsa relatio; ergo. *R. D. min.* Est relatio, quatenus est determinatio, nisus & exercitium causæ N. Quatenus est sic se habentia causæ ad effectum C. *Si instes.* Causa se aliter habet per actionem, quatenus hæc est exercitium causæ; ergo. *R. D. ant.* Se aliter habet in se. C. in ordine ad effectum. N. Relatio autem non tantum habet esse in, sed etiam esse ad, scilicet ad terminum.

416. *Dico 3.* Relatio non involvit terminum tanquam partem. *Ratio est.* Pars essentialis, & constitutiva est, quæ se habet per modum potentiae, vel actûs, i. e. *subjecti*, vel *forma*; sed terminus non habet se per modum potentiae, vel actus in relatione; ergo. *Prob. min.* Inprimis non habet se per modum *Potentia*, vel *Subjecti*: Nam subjectum in relatione est id, in quo est forma relativa, sive quod denominatur relatum; sed forma relativa non est in termino, nec ipse denominatur relatus, cum sit id, ad quod fundamentum refertur; ergo. Deinde terminus non habet se per modum *Actûs*, sive *forma*, quia forma in relatione est metaphysica, inexistit subjecto, posito termino resultat, & fundamentum refert ad terminum; sed termino nihil horum convenit; ergo. Postremò, si relatio sit complexum aliquod ex fundamento, termino, & ratione fundandi; ergo etiam cognitio erit complexum ex intellectu, objecto, & tendentia in objectum; consequens fallit; ergo & antecedens.

417. *Obj. 1.* Illud est pars rei, quo posito ponitur res, & quo sublato tollitur. *Item* sine quo res nec esse, nec concipi potest. *Item* quod ponitur in definitione rei; sed omnes hæ partium definitiones conveniunt termino in relatione; ergo. *R. 1. N. maj.* Ejusmodi enim definitiones conveniunt quoque essentialibus requisitis, vel conditionibus, v. g. *Approximationi*, quâ positâ comburitur stramen. *Item Intellectioni*, quâ positâ sequitur volitio;

A a

nec

nec tamen combustionis pars est approximatō,
 nec intellectio volitionis. R. 2. D. maj. Illud
 est pars, quo posito, ceū Potentia, vel actu
 intrinsecè rem constituente, ponitur res. C.
 quo posito, ceū essentiali requisito, ponitur
 res. N. Eadem distinctione reliqua membra
 majoris distingue. Adverte, discrimen inter
 partem, & essentialē requisitum esse hoc: quòd
Pars se communicando intrinsecè constituat to-
 tum, ut *Potentia*, & *Actus*, sive *Physica* hæc
 sint, sive *Metaphysica*. *Essentialē requisitum*
 autem est *conditio sine qua non*, h. e. sine qua
 effectus, vel quasi effectus haberi nequit. Dixi
 vel *quasi effectus*: quia sicut terminus non est
 strictè causa relationis, sic nec relatio est stri-
 ctè effectus; cū non verè producat, sed
 tantūm resultat. *Si ais*: Definitio explicat es-
 sentiam rei; ergo terminus positus in defini-
 tione relationis, erit de essentia relationis. R.
 D. ant. Explicat essentiam rei tum per partes
 tum per essentialia requisita. C. Per partes tan-
 tūm. *Subd.* In absolutis. T. in respectivis. N.
 Dispar autem ratio est, quia respectiva essen-
 tialiter extrinsecum respiciunt, id quod non
 reperitur in absolutis. *Si urges*. Conditiones
 essentialiter requisitæ non ponuntur in defini-
 tionibus; ergo. R. D. ant. Non ponuntur in
 recto, & ut actus, vel potentia. C. In obli-
 quo. *Subdist.* Si absque conditionibus haberi
 possit sat clarus, & perfectus rei conceptus. C.
 secūs. N.

418. *Obj. 2.* Fundamentum proximum ponitur in obliquo in definitione relationis; & Albedo in definitione albi; nihilò tamen minùs fundamentum proximum est pars relationis, & albedo est pars concreti albi; ergo etiam illud, quod ponitur in obliquo, potest esse pars rei. *R. 1. D. 1mam partem Antecedentis.* Fundamentum ponitur in obliquo in definitione relationis abstractim sumptæ, & ut est forma metaphysica. *C.* Physicè & concretim sumptæ. *N.* Relatio in abstracto est forma resultans ex fundamento proximo, & termino. Adde, quòd etiam in hoc conceptu fundamentum à termino adhuc satis distinguatur; fundamentum enim habet se *ut quod*, & ut aliquid participans denominationem relationis quæ talis; terminus autem se habet *ut quo*, sive ut conditio essentialiter requisita ad hoc, ut fundamentum denominationem hanc participet. *R. 2. D. 2 alteram partem.* Albedo in definitione *Albi essentialiter* sumpti, & respectu compositi accidentaliter importatur in obliquo. *N.* In definitione *Albi denominativè* sumpti, & respectu subjecti. *C.* *Album denominativè* sumptum est res, sive subjectum habens albedinem; *Essentialiter* sumptum est res, & albedo. *Inst.* Terminus specificat relationem; ergo erit pars ejus. *R. D. ant.* Specificat *extrinsecè*, sicut objectum specificat cognitionem. *C.* specificat *intrinsecè*, ut forma. *N.*

419. *Dico 4.* Relatio physicè spectata consistit in fundamento proximo connorante ter-

minum. Ita hodie multi contra multos. *Ratio est.* 1. Quia relatio physicè spectata est illud ipsum, quod habet formam relativam; & quod denominatur relatum; sed hoc est fundamentum proximum connotans terminum; ergo. *Ratio est.* 2. Relatio, utpote forma metaphysica, physicè nil aliud est, quàm illud ipsum, à quo abstrahitur; sed abstrahitur à fundamento proximo &c.; abstrahitur enim à relativo; ergo.

420. *Obj. 1.* Relatio resultat, fundamentum non resultat; relatio pereunte termino perit, fundamentum non perit; fundamentum producitur physicè, relatio non producitur physicè; ergo relatio non est identificata fundamento proximo. *R. D. ant.* Relatio *entitativè* resultat, fundamentum *denominativè*, & secundùm esse respectivum non resultat. *N.* Relatio *denominativè* resultat, & fundamentum *entitativè*, ac secundùm esse absolutum, & physicum non resultat. *C.* Eodem modo distingue reliquas partes antecedentis. *Inst. 1.* Omne totum plùs dicit, quàm sua pars; sed relatum est totum, & relatio est pars; ergo relatum plùs dicit, quàm relatio. *R. D. m.* Totum physicum plùs dicit, quàm pars. *C.* Totum metaphysicum. *Subdist.* Plùs dicit metaphysicè *C.* Physicè. *N.* Relatum autem est totum metaphysicum, & relatio est pars metaphysica relati. *Inst. 2.* Relatio est accidens reale, realiter adveniens fundamento; ergo nequit realiter physicè esse ipsum funda-
mentum

mentum proximum connotans terminum. *R.*
D. ant. Est accidens reale, h. e. non est quid
 fictum. *C.* Est accidens reale physicum. *N.*
 Relatio independenter àb intellectu est in fun-
 damento; sed non distinguitur àb eo, nisi per
 intellectum

421. *Obj. 2.* Relatio, juxta communem,
 est forma realis metaphysica; ergo debet rea-
 liter metaphysicè distingui à fundamento. *Pro-
 bas Conf.* Forma realis physica distinguitur rea-
 liter physicè à subjecto; ergo forma realis me-
 taphysica distinguitur realiter metaphysicè.
R. N. Conf. Disp. est: Forma realis physica est
 aliquid præter subjectum, habet enim entita-
 tem realem propriam àb entitate subjecti di-
 stinctam. Econtrà forma realis metaphysica
 non habet entitatem propriam, & realem ra-
 tione suâ, sed identificatur entitati reali fun-
 damenti. *Inst. 1.* Relatio non tantùm per in-
 tellectum datur; ergo nequit dici forma me-
 taphysica. *R. D. ant.* Non datur tantùm per
 intellectum quoad esse. *C.* quoad esse distin-
 cti. *N.* Relatio dicitur forma realis, quia ne-
 mine cogitante datur à parte rei, tanquam ali-
 quid indistinctum à fundamento. Dicitur au-
 tem metaphysica, quia distinguitur tantùm per
 intellectum à fundamento. *Inst. 2.* Distingui
 sequitur esse; ergo si relatio habeat esse reale,
 etiam distinguitur realiter. *R. D. ant.* Sequi-
 tur esse rei absolutæ, quæ propriam entita-
 tem, & existentiam suam habet. *C.* sequitur
 esse rei habentis essentiam, & existentiam

alteri identificatam. N. Adde, quòd citatum axioma salvetur per hoc, quòd priùs sit esse, quàm distingui. *Inst. 3.* Ex hac sententia sequeretur, quòd fundamentum indifferens ad relationem, sit indifferens ad se ipsum. *Item*, quòd fundamentum distingueretur à se ipso, denominaret, & determinaret se ipsum &c. *R. D. ant.* Fundamentum esset indifferens ad se ipsum, h. e. ad suam entitatem. N. ad suam denominationem. C. *Item*, fundamentum adæquatè sumptum distingueretur à se ipso. N. *Inadæquatè* sumptum. C. Nimirùm fundamentum sumptum *secundùm obliquum*, distinguitur à fundamento sumpto *secundùm rectum*. *Item*, fundamentum denominaret, determinaret se ipsum eodem modo sumptum. N. Diverso modo acceptum. C. scilicèt fundamentum sumptum *respectivè & connotativè* denominat se ipsum sumptum *absolutè*.

422. *Reflexio.* I. Relatio secundùm esse physicum, & in *concreto* est ipsum *Relativum*, sive fundamentum proximum connotans terminum. Secundùm esse metaphysicum, & in *Abstracto* est forma metaphysica, taleitas & modificatio entis, sicut de differentiis entis, *Aseitatem*, *Perseitatem*, &c. communiter loquuntur Philosophi, hoc tamen discrimine quòd ejusmodi differentiæ sint formalitates absolutæ, quæ subiectum suum perficiunt præcisè *in esse ad se*; formalitates verò relativæ perficiant subiectum *in esse ad aliud*. II. Hæc forma relativa realiter non produci-

tur, sed posito fundamento proximo, & termino *Resultat*, h. e. *Incipit esse*, ita tamen, ut non terminet actionem sui productivam.

III. *Connotare* est præter suum significatum formale manifestare adhuc aliquid aliud in obliquo importatum; sive præter *esse in* significare *esse ad*. IV. Quidquid dicitur de relatione *denominativè* sumptâ, etiam dicitur de fundamento *respectivè* accepto; & quidquid dicitur de fundamento *absolutè* sumpto, etiam dicitur de relatione *entitativè* acceptâ. V. Terminus quatenus est *essentiale* requisitum, est quasi causa *resultantiæ*, adeoque natura prior relatione; quatenus verò extrinsecè relationem distinguit, est illâ posterior.

§. III.

De Reliquis ad Relationem spectantibus.

423. *Quæres 1. An dentur Relationes reales?* R. Dantur tam in divinis, quàm in creatis. Est contra *Auweolum*, qui relationes stare docuit in actu intellectûs. Quòd in divinis dentur de fide est, quæ docet, nemine cogitante dari relationes Patrem inter & Filium, & Spiritum sanctum. Quòd dentur in creatis cum Aristotele, & D. Thoma Philosophi passim adstruunt. Accedit, quòd ante omnem intellectûs operationem detur *Paternitas*, *Filiatio*, *Æqualitas*, & *Inæqualitas*, imo *Ordo universi* &c. Adde, quòd *Album A* non sit tale, quale est *Album B*, quia concipitur tale; sed quia est tale, ideò sic concipi-

cipitur. *Nec obstat 1.* Quòd relatio non habeat causam suâ realem. Nam licet non habeat causam suâ propriam, ad se directè terminatam; habet tamen impropriad, & ad se indirectè terminatam, qui enim producit fundamentum, vel terminum, dicitur improprie producere relationem, quæ posito fundamento proximo, & termino resultat. *Nec obstat 2.* Quòd relativa sint rectus, & obliquus, qui non dantur à parte rei. Nam etsi non dentur *formaliter*, dantur tamen *objectivè*, & *secundùm rem*. *Nec obstat 3.* Quòd relatio sit *comparatio formalis*, quæ fit per iudicium. Nam falsum hoc est; sed potius *comparatio objectiva* dici potest, quæ sunt ipsa extrema comparabilia. Hæc autem comparabilitas extremorum non dependet àb intellectu actuali, & *dependentiâ causalitatis*; sed dependet ad summum àb intellectu possibili, & *dependentiâ connexionis*. Ex his tamen inferre non licet, quòd à parte rei detur solùm *referibilitas*, & non relatio, sicut datur *comparabilitas*, non autem *comparatio*. Nam disparitas est, quia actualis comparatio est actus intellectus; refertur autem unum ad alterum independenter àb intellectu ex rationibus supra in responsione positis.

424. *Quæres 2.* An terminus respiciatur ut quid absolutum, an ut quid respectivum, sive respiciens? *3.* Respicitur, ut quid absolutum. Ita P. Channeville, & alii, qui hanc quæstionem attigerunt, communiter. *Ratio est 1.* Quia præ-

præcisâ omni formâ relativâ ex parte termini, v. g. *Parietis albi B*, & albedine ejus relictâ, *Parietis albi A*; ergo ipsa albedo parietis B, non ipsa correlatio, est terminus similitudinis parietis A. *Antecedens* inde constat, quòd quærenti: cur paries albus B terminet similitudinem parietis albi A, respondetur: *quia albus est*, non autem reponitur: *quia similis est*; ergo terminus similitudinis est albedo parietis, non ipsa correlatio. *Ratio est 2.* Terminus tanquam quasi causa relationis est natura prior ipsa relatione; ergo debet esse quid absolutum, quia correlativum formaliter non est aliquid prius ipsa relatione. *Ratio est 3.* Terminus ut terminus non respicit, sed respicitur, non connotat, sed connotatur.

425. *Obj.* Ex Aristotele, Relativa sunt simul cognitione, naturâ, & definitione; ergo terminus respicitur ut quid respectivum. R. I. *D. Conf.* Respicitur ut quid respectivum *activè N.* Passivè. C. R. 2. *Explico Aristotelem cum distinct.* Sunt simul, h. e. habent necessariam inter se connexionem, ita ut unum nequeat cognosci, quin cognoscatur alterum, saltem *materialiter*, tanquam connotatum. C. Sunt simul, h. e. terminus debet respectivus cognosci. N. Sic cognoscere non possum Patrem, quin cognoscam filium, non quidem *formaliter respectivè* ut filius est; sed *materialiter*, & *absolutè*, qui filius est, sive qui homo genitus est. Pariformiter nequit definiri Pater, nisi per filium in

obliquo, & materialiter importatum. *Inst. 1.* Filius non respicitur quatenus præcisè homo est, sed quatenus filius est; ergo. *R. D. Ant.* Quatenus præcisè homo est qualiscunque C. quatenus homo genitus est. *N. Inst. 2.* Præcisè filiatione Pater non respiceret filium; ergo eum respicit ut filius est. *R. N. Ant.* Pater respiceret adhuc filium absolutè, quatenus homo genitus est, sive respiceret filium *materialiter* sumptum cum ratione terminandi. *Inst. 3.* Relationes mutuæ se mutuò respiciunt; sed inter Patrem, & filium est relatio mutua; ergo. *R. D. maj.* Se mutuò respiciunt, si mutant vices, h. e. si fundamentum fiat terminus, & terminus fiat fundamentum C. h. e. Terminus manens terminus respicit fundamentum. *N.* Sic enim respicitur, non respicit. *Inst. 4.* Terminus ut terminus nequit concipi, nisi alicujus terminus; ergo. *R. D. ant.* Nisi alicujus terminus, quod ad ipsum referatur C. ad quod ipse referatur. *N.*

426. *Quæres 3.* An terminus relationis prædicamentalis debeat actu existere? *R.* Affirmativè. *Ratio est:* Quia terminus actu existens est causa relationis; ergo debet esse naturâ prior ipsa relatione. Adde, quòd relatio prædicamentalis sit contingens, fundamento, & indifferens ad existendum, vel non existendum; hoc autem explicari non poterit, nisi requiratur terminus actu existens. *Nec obstat 1.* Quòd Pater etiam mortuo filio dicatur adhuc Pater. Nam dicitur Pater non strictè & Philosophicè; sed vulgari-

gariter tantum. *Nec obstat* 2. Quod dentur relationes de præterito, & futuro. In his enim non requiritur existentia termini in *esse rei*, sed in *esse veri*.

427. *Quæres* 4. *Unde multiplicentur relationes?* R. Relationes in concreto multiplicantur multiplicatis rectis, sive fundamentis, juxta doctrinam de concretis supra datam. Relationes in abstracto multiplicantur multiplicatis terminis. *Ratio est*: Quia posito uno termino resultat una relatio; ergo positis terminis pluribus resultant plures. *Item*, multiplicatis causis actu causantibus multiplicantur effectus; sed termini sunt quasi causæ relationum; ergo.

Quæres 5. *Quæ sint proprietates relationis categoricæ?* R. Sunt sequentes: 1^a est. Quod relativa referantur ad sua correlativa, sic, ut converti aliquo modo possint, v. g. *Pater est filii pater, & Filius est Patris filius*. 2^a est. Quod relativa sint simul naturâ & cognitione. *Vid.* n. 425.

ARTICULUS VI.

De reliquis Prædicamentis.

429. **D**ico 1. *Actio est forma accidentalis, à qua aliquid dicitur agere, sive est actus secundus, exercitium actuale, à quo tanquam ratione formali causa dicitur agere. Hæc variè dividitur; alia enim est Naturalis, quæ juxta exigentiam subjecti procedit. Alia violenta, quæ procedit contra subjecti seu passi exigentiam, v. g. Projectio gravium sursum.*
Alia

Alia est *Præternaturalis*, quæ fit præter naturæ intentionem; v.g. si monstrum generetur. Alia est *Artificialis*, quæ ex directione artis ponitur. Alia *supernaturalis*, quæ est supra vires naturæ. Alia *Creativa*, quæ non requirit subiectum, ex quo effectum educat. Alia *generativa*, per quam effectus è subiecto educitur. Alia *Immanens*, quæ cum effectum in ipsa causa recipitur, ut *visio*, *cognitio*. Alia *Transiens*, quæ recipitur in subiecto extra operantem, ut *calefactio*. Alia *substantialis*, alia *accidentalis*; Per illam effectus substantialis, per hanc accidens ponitur. De his & aliis actionibus agetur accuratiùs in *Physica*. Proprietates actionis ex proprietatibus effectuum desumere oportet. *Passio* est forma accidentalis, à qua aliquid pati dicitur, sive est receptio formæ in subiecto ab agente productæ. Passio ab actione realiter non distinguitur, sed ratione tantum, quia habet alium ab actione conceptum objectivum. Nam actio dicitur, quatenus causa agit producendo terminum; Passio verò appellatur, quatenus subiectum patitur recipiendo terminum productum. Prædicamentum *Passionis* idem est, quod actionis, modò loco termini *Actio* ponas *Passio*.

430. *Dico 2. Ubi vel Ubicatio* est forma denominans rem esse in loco. Est duplex: *Circumscriptiva*, quâ res tota est in toto loco, & singulæ rei partes in singulis partibus loci. Hæc connaturaliter propria est rebus corporeis. Et *Definitiva*, qua res tota est in toto, & tota in qua-

qualibet parte loci. Sic anima nostra est in corpore, & spiritus in loco. *Quando* sive *Duratio* est forma denominans rem esse in tali tempore. Sive est continentia rei in tempore, ut durationem ejus mensurante; hinc non est relatio rei temporaneæ ad tempus; sed hujus relationis fundamentum, nec est ipsum tempus, hoc enim ad quantitatem pertinet; *Quando* verò speciale prædicamentum constituit.

431. *Dico* 3. *Situs* est dispositio partium ad locum, sive est forma; quæ res cum certo partium ordine est in loco, ut *ambulatio*, *sessio*, *cubatio*. Differt ab *ubi*, quòd hoc dicat tantum præsentiam rei in loco; situs verò addat certam partium inter se dispositionem per ordinem ad locum. Sic quærenti: *ubi sit Petrus?* simpliciter respondes: *Est in schola, in foro &c.* quærenti autem, *quomodo ibi sit?* reponis: *Est ibi vel stans, vel sedens &c.* *Habitus*, ut hinc sumitur, est certa ratio habendi ornamentum, vel indumentum; sive est adjacentia, & accommodatio vestis ad corpus, quæ unum dicitur *habere*, & alterum haberi instar vestis, armaturæ, vel ornamenti. Ut autem res dicatur haberi, requiruntur sequentia: ut sit corpus, ut circumponatur corpori, ut non sit pars habentis, aut aliquid ei cohærens, ut à loco ad locum possit transferri. Ex his colliges 1. *Habitus* alium esse *Profanum*, alium *Sacrum*, *Politicum*, vel *Militarem*, *Publicum*, vel *Privatum* &c. 2. *Manus*, *Pedes*, *Plumas*, *Rostra*, & alia animalium ornamenta, quæ natura ipsis dedit, ad præ-

præ-

prædicamentum habitûs non pertinere, quia tanquam partes integrantes, ad substantiarum suarum categorias revocantur. 3. Eum, qui in ædibus versatur, aut in aquis natat, non propriè dici ædibus aut aquis vestiri, ex defectu ultimi requisiti. Hæc sunt, quæ de prædicamentis in Logica breviter pertractanda censui, ut interim Tyro Philosophus terminorum sæpius occurrentium notitiam hauriat, præpareturque ad ea, quæ de distributione entis per prædicamenta factâ, in diversis Philosophiæ partibus fusiùs, & accuratiùs pertractabuntur.



DISPUTATIO VI.

De Post-Prædicamentis.

Post-Prædicamenta sunt quædam quasi appendices prædicamentorum, complectentes affectiones quasdam, quæ prædicamentis inter se comparatis conveniunt, suntque oppositio, modi prioris, & posterioris, modi simul, species motûs, & modi habendi. Quid de his scire conveniat, sequentes articuli in compendio dabunt.

ARTICULUS I.

De Oppositione Terminorum.

432. **N**ota. *Termini Comparati* dicuntur, qui in ordine ad se invicem considerantur, & de se invicem affirmari, vel negari possunt. Horum alii sunt *Pertinentes*, quorum
unus